

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4959

Auteur(s) : Guillaume le Carpentier, des Authieux [particulier]

Auteur(s) : Jeanne, femme de Guillaume le Carpentier [particulier]

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1276, décembre

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume le Carpentier et Jeanne, sa femme, vendent aux religieux de Bonport huit boisseaux et demi de mouture sur un moulin à Landemare.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CCXCIV, p. 299-300.

Texte établi d'après a

Noverint universi, presentes et futuri, quod ego Guillelmus dictus Le Carpentier, et ego Johanna, uxor dicti Guillelmi, de parrochia de Altaribus, assensu unanimi et voluntate, vendidimus, concessimus et omnino dimisimus viris religiosis abbati et conventui Boni Portus, Cysterciensis ordinis, pro sexaginta solidis turonensium, de quibus nos tenemus pro pagatis, octo boissellos et dimidium de moltura annui redditus, quos ego predictus Guillelmus et ego predicta Johanna percipiebamus et habebamus annuatim super quoddam molendinum dictorum religiosorum, situm apud Landemare, in aqua Ardure, et in parrochia Beate Marie de Valle Rodolii, Ebroicensis dyocesis: tenendos et habendos ac possidendos bene et in pace, libere et quiete in perpetuum dictis religiosis et eorum successoribus absque inpedimento vel oppositione sive reclamatione ex parte nostra vel heredum nostrorum faciendis. Et licebit de cetero dictis religiosis et eorum successoribus de dictis octo boissellis et dimidio de dicta moltura annui redditus suam plenariam facere voluntatem. Et ego dictus Guillemus, et ego dicta Johanna, uxor dicti Guillelmi, spontanea voluntate ad sancta Dei ewangelia juravimus, in curia Rothomagensi, coram officiali, quod in dictis octo boissellis et dimidio de moltura annui redditus ratione hereditatis, dotis, dotalicij, donationis propter nuptias, maritagii, partionis, successionis, eschaanchie, elemosine, conquestus, domini, seu alia qualibet ratione nobis competenti, vel competiture nichil de cetero reclamabimus, nec dictos religiosos aut eorum successores super dictis octo boissellis et dimidio molture annui redditus in aliquo foro ecclesiastico vel seculari aliquatenus molestabimus. Quod inviolabiliter observare volumus, et obligamus nos et heredes nostros ad predictam venditionem observandam, et dictis religiosis et eorum successoribus dictos octo boissellos et dimidium molture, ut dictum est, tenemur contra omnes garantizare et ab omnibus impedimentis et obligationibus erga omnes liberare et penitus acquitare et alibi in nostra hereditate, si necesse fuerit, valore ad valorem excambiare. Et ut ratum et stabile permaneat in futurum, sigilla nostra presenti carte duximus apponenda.

Actum anno Domini M° CC° LXX° sexto, mense decembris.

Testibus hiis : Johanne Guocelin ; Roberto Coispel ; Galtero Le Tonnelier ; Nicholao Le Barbier ; Roberto Le Maistre, et aliis.